



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De valedictione discipulis facta ante ascensionem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

In Festo Ascensionis Domini.

V.

Mar. 16. Act. 1.

I. **R**ecumbentibus Apostolis apparens Christus & conuescens, primum paternè increpauit eorum incredulitatem, & duritiã cordis, vt eam agnoscentes, & detestantes, nunquam relaberentur: deinde blandè eos est consolatus, ne nimium ob discessum suum contristarentur, forsan vsus similibus verbis: *Vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis* O quam paternus Christi Domini erga electos suos est amor! quam verè ait: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Apoc. 3. nec enim minus amat, cū increpat & flagellat, quàm dū cōsolatur, & fouet. Amor, constans patientia in aduersis.

II. Ne iniuncti sibi muneris prædicandi Euangelij difficultate deterrerentur, promisit eis spiritum S. breui mittendum, à quo essent in omnibus ditigendi, illuminandi, & confirmandi, inquit: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Quàm suauiter & efficaciter discipulorum, de suis viribus diffidentium, animos in talem spem erigit, vt omnia se posse in eo, à quo

Luc. 24.

quo

quo se confirmandos audiunt, nō absque singulari interno gaudio, confidunt; ideoque nec verbo commissam sibi tam arduam prouinciam recusent? nec spe sua frustrati fuere: quantum enim pauci illi, timidi, & rudes prius piscatores, confirmati postea, & illuminati sancti Spiritus gratia, intrepidi Euangelij prædicatores breui tempore potuerint & effecerint, mundus stupescit vniuersus: Amor, & filialis fiducia erga tam amabilem Dominum, quos ad magna & ardua elegit, tales, si sibi diffidentes in ipso confidunt, quales esse vult, efficere consuevit.

Luce. 24.

III. *Eduxit eos foras in Bethaniam, in montem Oliueti.* An ipse simul cum eis visibilis exierit; an iussis illis istuc ire, vsque ad locum ipsum disparuerit, non liquet: vtrumque eximia fuit dilectionis eius in discipulos argumentum, & grande ijs contulit solatium. Voluit porro Saluator noster, caput Electorum, ex illo monte Oliueti, vbi erat Bethania, id est, domus obedientia vel afflictionis, coelum conscendere, in quo passionem suam secundum beneplacitum æterni Patris, ex gratuita erga humanum genus dilectione & miseratione dignatus est auspicari; vt
osten;

stenderet heroicam tribulationum patientiam, & perfectam obedientiam, Bethaniâ; sublimem charitatem, monte ipso; & intimam misericordiam, oliuâ, adumbratam, esse regiam ad cœlum viam, quam ipse calcasset, nobisque calcandam designasset. Quam pios affectus compassionis, gratitudinis, amoris, congratulationis elicuerint discipuli inter eundem, recolentes, quæ non ita pridem isthic cõtigerant, circa amantissimum Magistrum suum à se desertum, captum, per vallem Iosaphat & torrentem Cedron deductum ad ignominiam Crucis; nunc gloria & honore coronatum, mox gloriôsè deducendum à cœlestibus hierarchijs ad dexteram Patris? Amor, congratulatio, zelus imitandi in Christo patientiam, obedientiam, charitatem, misericordiam.

De ascensu eius in cœlum.

VI.

I. **D**iscipulis in monte Oliueti congregatis exhibuit se amantissimus Dominus solito splendidiorem, vultuque blandiorem, omnes & singulos, pro amplexu dari solite, ad osculandas cicatrices vulnerum suorum benignè admittens. Quàm insolitos
inte-